

De secunda & duplici differentia, quæ circa Solem propter  
absidum mutationem contingit. Cap. XX.

**I**nstat iam maior difficultas circa absidis solaris in-  
 constantiam, quoniam quam Ptolemæus ratus est  
 esse fixam, alij motum octauæ sphaeræ sequi, secun-  
 dum quod stellas quoque fixas moueri censuerunt.  
 Arzachel opinatus est hunc quoque inæqualem esse, utpote quæ  
 etiã retrocedere cõtingat, hinc sumpto indicio, quod cum Macho-  
 metus Arateñ. ut dictũ est, inuenisset apogeu[m] ante solstitium  
 septem gradibus, XLIII. scrup. quod antea à Ptolemæo in DCC  
 XL. annis per gradus propè XVII. processerat, illi post annos  
 CC. minus VII. ad grad. IIII. s. ferè retrocessisse uideret, ob idque  
 alium quendam putabat esse motum centri orbis annui, in par-  
 uo quodam circulo secundum quem apogeu[m] ante & pone de-  
 flecteret, ac centrum illius orbis à centro mundi distantias effi-  
 ceret inæquales. Pulchrum fanè inuentum, sed ideo non rece-  
 ptum, quòd in uniuersum collatione cæteris non cohæreat.  
 Quemadmodum si ex ordine ipsius motus successio considera-  
 tur, quòd uidelicet aliquandiu ante Ptolemæum constiterit,  
 quòd in annis DCXL. uel circiter per gradus XVII. trãsierit, de-  
 inde quòd in annis CC. repetitis IIII. uel V. gradibus in reliquũ  
 tempus ad nos usque progredere, nulla alia in toto tempore  
 regressione percepta, neque pluribus stationibus quas motibus  
 cõtrarijs hinc inde necesse est interuenire. Quæ nullatenus pos-  
 sunt intelligi, in motu canonico & circulari. Quapropter creditur  
 à multis, illorum obseruatiõibus error aliquis incidisse. Ambo  
 quidem Mathematici studio & diligẽtia pares, ut in ambiguo  
 sit, quem potius sequamur. Equidem fateor, in nulla parte esse  
 maiorem difficultatem, quàm in appræhendendo Solis apo-  
 geo, ubi per minima quædam, & uix appræhensibilia, magna  
 ratiocinamur. Quoniam circa perigeum & apogeu[m] totus gra-  
 dus duo solummodo plus minusue scrupula permutat in pro-  
 sthaphæresi: circa uero medias absides sub uno scrup. V. uel VI.  
 gradus prætereunt, adeoque modicus error potest sese in immen-  
 sum pro